AD CARDINALITIAM

QVÆSTIO MEDICA

MATVTINIS EXCVTIENDA DISPVTATIONIBVS, IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS II. MAII, MAGISTRO SIMONE BASIN DOCTORE MEDICO PRÆSIDE PRVDENTISSIMO.

An omni tempore medicandum.

ANNI TEMPORA ad rerum viciſſitudines, & nouas earundem productiones, maturitateſque proferendas à Deo Optimo Maximo creata; ab aſtrorum, & cœli conuerſione, ſolis præſertim motu, ac Lunæ, ceu effectricibus cauſis ortum habent; ex quorum poſtea mutationibus, omnium, quæ terra, marique gignuntur, initia, cauſæque ducuntur! Ea autem temperamentis ſic differunt, vt omnibus tamen omnes morbi naſcantur: ſed alijs quàm alijs, vt autumno malorum Lerna, & æſtiuorum nutritore, quàm vere frequentiores, & perículoſiores: Quibus præſentibus (niſi ſymptomata magis vrgeant) debetur curatio, vt imminentibus præcautio: vtraque autem perficitur indicatione, quæ non eſt iuuantis comprehenſio ſimul cum comprehenſione nocentis ſine obſeruatione, aut ratiocinio adueniens: neque etiam agendorum inſinuatio tantum, ſed ἔμφασις τῆς ἀκολυθίας.

INDICATIO in genere duplex, alia enim ſanitatem ſimilibus tutandam, alia verò morbum contrarijs auxilijs profligandum deſignat: hæc autem iterum duplex, nam ſi à morbo deſumitur θεραπευτικὴ, ſi à cauſa προφυλακτικὴ nuncupatur; quæ enim à ſymptomate deducitur non eſt legitima, nec methodica: θεραπευτικὴ rurſum triplex, prima quæ à natura ſolius morbi deducta, genus declarat remedij; cuius tot ſunt ideæ quot & morborum, tam rudi plebeculæ, quam peritis medicis familiares & notæ: altera eſt, quæ an remedium à prima indicatum fœliciter, & ſine grauiore damno vſurpari poſſit, inſinuat; quæque à partium temperie, ſubſtantia, conſiſtentia, actione, vſu, ſitu, figura, connexione, ſenſu, & conſenſu originem ſui ducens, prudentem medicum facit, vt tertia peritum:

HÆC enim & qualitatem ſecuri remedij, & quantitatem, atque etiam vtendi modum præſcribit accuratiùs: Qualitas remedij frequenter à morbo, ſæpius à cauſa ſi coniuncta ſit, vt cacochymia & plethora: illa enim propriè & per ſe purgationem: hæc verò ſanguinis miſſionem (minus quàm illa ſecuram) primariò indicat: Quantitas verò iuſta auxilii particularis, & ſi certò non poteſt præſcribi, tamen coniecturâ quâdam poteſt explorari: Ea autem & qualitatis modum, & medicamenti pondus comprehendit, atque menſuram, quæ omnia morbi natura, corporiſque totius, & ſingularum partium temperies, dignitas, virtus, ſenſus, item ſitus, & figura definiunt: vtendi denique ratio, & medicamenti formam, & affecti loci naturam & exhibendi remedij occaſionem ſub ſe complectitur: forma medicamenti ſolida debet eſſe, liquida, vel mediocris pro illius conſiſtentia, humoris fluxilis, vel tenacis natura, partiſque conformatione, & poſitura.

SI QVIS adminiſtrandi medicamenti modus eſt; & pręcipuè purgantis, à tempore pendet & occaſione: tempus aſtrorum ortus & occaſus, temperiem aëris, hominis ętatem, morborumq; tempeſtatem deſignat; ortus & occaſus ſyderum, cum in ambiente nos aëre nullas excitant mutationes, medico catharticum pręſcripturo non ſunt ſpectandi, ſicut nec aëris intemperies, niſi cauſa ſanitatis exiſtat, aut morbi; ideoque purgationes licet ſub cane, & ante canem aliquando ſint periculoſæ; ſępius tamen cedunt oportunè, quę æſtate per inferiora, hyeme per ſuperiora etiam ſunt ex vſu, ſi morbus, ſi cauſa morbi, ſi laborantis natura efflagitent.

ÆTATIS autem noſtrę, vt morbi, quatuor ſunt tempora, ita diſtincta, vt in illis non ad numerum annorum, ſed ad corporis habitum: in his verò non ad numerum dierum, ſed ad ſigna coctionis ſit aduertendum; concoctio non eſt humorum qui per initia excernuntur, ſed in ijs cum apparet, celeritatem iudicij, & ſecuritatem portendit ſemper: eam tamen natura non ſemper expectat: natura autem adminiculante, vel etiam quieſcente circunſpectus medicus fœliciter mouet, cum vires fortiores, ac ſymptomata debiliora, vt ſunt non in principio modò & fine, ſed ſæpè etiam in ſtatu: imò & cum ipſa ſunt vehementiora; pręcipuè ſi materia turget, tam in ſene, quam iuuene, vtero gerente, quam recens enixa: in talibus enim tardare malum.

Ergo omni tempore medicandum.

ASSEREBAT LVTETIÆ CLAVDIVS GERVAIS PARISINVS, A. R. S. M. DC. XIII.